



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXII. Bono conjugali mala annexa, quæ vel impudentium querelis,  
vel stultoru[m] erroribus, vel castis sapientium consilijs caussam solent  
præbere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

- XI. Ita qui ab Ecclesia, *columna & firmamento veritatis* recesserunt, *in circuitu ambulant*, & vertigine aguntur; vt ipsi se ipsos refutent, & eodem ore recitent, quod cecinerunt: immò opere ipso verba sua retractent. Nam is, qui dixit, esse *peruersam superstitionem, appetere calibatam; que radix & causa fuit ingentium malorum;* is, inquam, ipse Calvinus (teste Beza, in vita eius) annos tantum nouem in coniugio; annos verò se. decim, in viduitate peregit. An non aliter vixit, quam dixit? An non hoc *Deum tentare fuit, contra inditam ab eo naturam?* vt ipse alibi docuit. Cur vxorem non duxit secundam, si caelebs esse non potuit? aut, si potuit, cur calibatam reprehendit? Sed demus, illum, molestias coniugij vitasse, voluptates alibi quæsiuisse, vt lilia mereretur candentibus litteris dorso inscribenda. Nos dicamus, & credamus, matrimonium posse declinari, & vt incommoda eius declinentur, & vt Deo, è S. Pauli doctrina, tantò purius integriusque seruiatur. Quod vel ipse Calvinus fateri coactus, illud *Qui cum vxore est, sollicitus est, que sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est,* sic intelligendum scripsit: *diuisum esse hominem coniugatum, quia partim Deo, partim coniugi se addicat, non sit autem vnus Dei in solidum.* Hæc igitur aliàsque complures, in matrimonio, causas, penitus inspicere vtile est; simulque Dei, mala coniugum suauiter temperantis, vel iustissimis iudicijs prouidè permittentis æquitate perpendere necessarium; vt & cauti sint, qui de vxore ducenda cogitant; & patientes, qui vxorem malis alitibus duxerunt.

## CAPVT XXII.

*Bono coniugali statui varia mala annexa, que vel imprudentium querelis, vel stultorum erroribus, vel castis sapientium consilijs causam solent præbere.*

I.

**R**ater agros, & vineas, & prata, & iumenta, ceteraque Mundi & Fortunę bona, & pecuniarum thesauros ac opes, quæ extra hominem sunt, est itidem aliquid æternum, mutuum ab amicis, & maximè à coniugibus auxilium. Quamuis hoc sit vtrique alijs Fortunæ bonis longè coniunctius; cum sint *duo in carne vna*. Hoc in matrimonijs, auxilium nonnulli

nulli tanti aestimant, ut coniuges suos soleant *thesauros* suos nominare. Vnde, teste Plutarcho, etiam vxor Phocionis maritum suum, *suas opes, mundum suum, & thesaurum vocauit*. Et planè magnus est *thesaurus* bene morata vxor, aut vir, qui, ex præcepto Apostoli, *diligit uxorem suam*. Nec desunt, quibus matrimonij concordia est paradysus. Sed si felices coniuges in vnam, infelices in alteram partem velimus separare; longè vtique minor felicitum, maior erit numerus coniugum infaustorum, parentes, amicos, suam stultitiam, & sæpe ipsum quoque Deum accusantium, qui eos in tam miserum statum coniecerit. Magnum enim malum, mala vxor. Est huius experientia illustre exemplum Iob, quem cum Satan percussisset *ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem eius*, in sterquilinio sedentem, & testa faniem de plagis abradentem, vtique bona vxor consolari debuisset, eiusque vulnera spongijs purgare, fascijs obligare, verbis mitibus refrigerare: nihil horum fecit; sed, velut villaticus canis, è regione stans, eumque identidem allatrans, dixit: *Adhuc tu permanses in simplicitate tua? benedic Deo, & morere*. Vnica vtique talis vxor totam potest domum infestare. Et infestauit sæpe. Vxor Adæ in ruinam fuit: Vxor Tobia in ruinam esse voluit. Pilati vxore vsus est cacodæmon, cum Passionem vellet Christi impedire. Vsque ad eò, etiam sub mantelo pietatis, fallacia teguntur; ipsis sæpe femina aris maritos admovent, ut jugulent. Quid enim magis pium poterat videri, quàm Christum liberare, ne occideretur? At non quærebat hoc, per feminam, Orcus, ut Christus à morte, sed ne, per Christum, homines ab æterno exitio liberarentur. Quid si & alia insuper miseria, in coniugijs, accumulentur? Libet eas obiter enumerare, ut, vulneribus patefactis, de medicina cogitare possimus. Nam si Paulus *pronuba verbalocutus est, immò non pronuba, sed animi spiritualis, multò minùs nos detrectabimus de hac re dicere*, ait S. Chrysostr. in mor. exhort. ser. 20. in ep. ad Ephes.

Coloff. 3. 19.

Iob. 2. 7.

S. Chrysostr. in mor. exhort. ser. 20. in ep. ad Ephes.

II.

1. Maior est copia malorum virorum, malarumque feminarum. Quid ergo sperandum erit, si in vnam domum, mensam, coniugium conueniant duo mala,

*Vxor pessima, pessimus maritus;*

Non 3

cum

cum, si vel alteruter coniugum non sit frugi, fat mali in domo existat. Siquidem malum ex quouis defectu nascitur; tanto autem maius est, si duplicetur. Maiorem vniuersim malorum copiam esse, vel *pusillus* Christi *grex* demonstrat. Demonstrat & particularim, quæ circumferri solet, duorum imago horrendorum monstrorum; quorum vnum non nisi malis feminis vesci lepidè fingitur, estque, velut prima luna saginari cœptum, ventre obefissimo; nimirum propter pabuli abundantiam. Alterum autem istorum monstrorum, quod pictura ostendit, solis bonis pasci mulieribus, est admodum macilento corpore osseo cani, vel canterio simile, qui, præ fame, vix se ferre potest pedibus. Voluit scilicet pictor indicare, tantam esse bonarum mulierum paucitatem, vt si eas aliquis Diomedes omnes vni bestia obijceret epulandas, eam non essent satiatura. Quam raritatem etiam olim Petronius notis illis versibus indicauit.

*Femina nulla bona est; vel si bona contigit vlli,*

*Nescio quo fato, res mala facta bona est.*

Prov. 31, 10.

Quin & sacra littera ferè in eundem sensum quarunt: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus precium eius.* Quis vult ad vltimos fines ire, vt mulierem talem inueniat? Cæca cupiditas multos iuuenes impellit, vicinorum filias, aut ancillas domesticas, immò etiam obuias quasque, & vix vnquam visas, primo statim colloquio, primis in choreis, enim verò primo aspectu perditè amare, & in vxores sibi destinare incipiant: nec pauci nunquam oculis visas, sed à lenone, duntaxat laudatas, aut in ebrietate persuasi, ducant. Quid mirum, si in malas incidant, quarum, vt dixi, longè maior est multitudo? Bonam qui inuenit, cornicem candidam inuenit. Et fuit, qui, ductis vnà tribus vxoribus, interrogatus, cur id fecisset, responderet: sæpe se audiuisse, difficulter è mille vel vnâ probam coniugem reperiri, ea de causa, se in tribus periculum facere voluisse. Egregia ratio, & malæ causæ peior effectus.

III

Nic. Reufn. in  
Symb. Impp.  
class. 3, Symb,  
271

2. Apud Sunnitas, teste Stobæo, solenne iudicium publicè habitum fuit, de moribus virginum & adolescentum; in quo qui optimus iudicaretur, virginem, quam vellet, duceret adolescentens:

lefcens:

Iescens: ac deinde, post eum, secundo daretur optio, & tertio, & sic deinceps. Hoc nusquam nunc est iudicium publicum, quidem. Priuatim tamen plurimi iudicant, sed luculentè decipiuntur. Nam sæpe quæ pudore vultus, oculorum deiectione, modestissimo incessu, Angelum præ se fert, & est virginum exemplar, si eam de fronte æstimes, à virginea specie desinit in Sphingem, aut Harpyiam. Longè enim aliæ sunt eiusmodi illices in platea, quàm in culina; in templo, quàm in triclinio. Accedit, non semper esse liberam eligendi optionem. Multi infantes in cunis desponsantur, habentque iam sponsas antè, quàm spondere possint; aut documentum illud intelligere:

*Qua tibi ducenda est, habeat P. quinque puella:*

*Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.*

Multis obruduntur, quæ vitium alunt, emtis dentibus, caluæ, vel fictis pictisque capillis; vetulæ, exoletæ. Multi, vno verbo, ad nuptias cum impetu ruunt, vel formæ, aut familiæ, aut pecuniæ, aut etiam affinitatis causa, adiguntur ad eas ducendas quæ amicis, non quæ ipsis placent. Quid ergo mirum, si in malam incidant? eum præsertim Salomon dicat: *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Raritas delectum reddit difficiliorem. *Satage*, ait S. Chrysostomus, *vt commodam, & modestam, & obsequentem uxorem ducas. Nam, si domum & seruos emturi diligenter & curiosè sciscitamus, & perscrutamur; multò magis uxorem ducturos, tantam, ac longè maiorem etiam prouidentiam gerere oportet: domum enim vitiosam, & seruum licet reddere venditori; uxorem verò dimittere non licet.* Religionem ingressuris, saltem annus datur probationis, vt experiri possint, num status ille sibi conueniat. Eo tempore, si Superior, aut Subditus videat, vel hunc sibi, vel se huic non-conuenire; si sui illos lociuè distædeat, facili negotio potest remedium adhiberi, per separationem, aut dimissionem. Non est hoc idem fas, in matrimonijs. Quare tantò est dementior temeritas, coniugia, sine magno delectu, & obuia occupare. Multum, ô iuuenis, delibera: personam, stirpem, mores, artes, famam, vitam omnem sedulò examina, & tamen, in periculo eris, ne decipiaris,

Eccles. 7. 29.

decipiaris. Antiqui Funoni γαμηλιῶν nuptiales victimas felle destitutas offerebant, ut uxorem, vel maritum acquirerent, felle & amaritudine carentem.

IV. 3. Sicut difficile est, è mari siccum extrahere lapidem, sic planè periculosa res plena est aleæ, è tanta frequentia malarum mulierum acquirere bonam.

Πολλῶν κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν θηρίων ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίων γυνή.

Tot cùm mari terraq; sint passim fera,

Fera omnium ipsa maxima extat femina.

Ait Menander; qui & uxorem vocat: domus tempestatem (qualis fuit Xantippe, qualis vxor Iob) item aspidis venenum, malorum thesaurum. Quemadmodum & D. Chrysostomus omnino peius malum, malum nimirum intolerabile, viperam immedicabilem, venenum insanabile. Quippe quæ amicitia inimica, inuitabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali denique natura, sed boni colore depicta est. Quid peius muliere atque audacius inquit Comicus. Et Euripides: γυνή τε πάντος ἀγριώτατον κακόν.

Plant. in Mil. glor.

Eurip. in Phœnissis.

Malum efferatum maximè una est femina.

Gen. 4. 6. & 7.

D. Ambrosius, mulierem ianuam diaboli, viam iniquitatis, scorpionum percussorem appellat. Quod vel in Eua verum fuit, aut in vxore Iobi, & Tobix; ne dum in Hecuba aliqua, quæ, ob iram atque maledicentiam, in canem versa dicitur. Certè filij Seth antè, quàm vxores ex filiabus hominum, hoc est, ex stirpe Cain, dixissent, boni erant, & filij DEI appellabantur. Post infelicia autem ista connubia, eò malitiæ delapsi sunt, ut essent communi

3. Reg. 11. 4.

totius Mundi eluione delendi. Ipsum Salomonè Ægyptiarum mulierum consuetudo in idololatriam præcipitavit. Nonne hinc mulieres ianua diaboli, & via iniquitatis extiterunt? Quàm facilè autem est, in tanta talium abundantia, talem potius, quàm bonam assumere? Denique Alphonsus Aragoniæ rex solebat dicere, Tum deniq; plerisque molestus liberum fore matrimonium, si maritus surdus, vxor cæca fiat.

Caspar. Enf. l. i. Epidorp.

V.

At, inquires, si quis incommodam atque importunam uxorem nactus est, potest eam commodam, opportunam, atq; ad suum

ad suum ingenium aptam facere? Utinam. Sed symbolum Fl. Constantini VI. ita canit: *Mulieri imperare, res desperata: & dudum Euripides dixit, inter omnes res alias mulier maximè inexpugnabilis est. Quod & Aristophanes testatur, apud quem: Nulla fera minùs expugnabilis, quam mulier; neque ignis ipse, neq, vlla pardalis tam impudens.* Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia: si conquenda vindicta, maxima vigilantia. *Neque enim imbecillis tantum & impar laboribus sexus est: sed, si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatis avidus, omnium rerum libertatem, immo licentiam, si vera dicere volumus, desiderat,* inquit Tacitus. Et Poëta, in vetere comœdia:

Aristophan  
in Lystrat.

*Male quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,*

*Id illi morbo, id illi senio est: ea illi misera miseria est.*

*Si bene facere incepit, eius eam citò odium percipit:*

*Nimisq, pauca sunt desesse, malè qua facere occeperunt.*

*Nimisq, pauca efficiunt, si quid occeperint bene facere:*

*Mulieri nimio malè facere melius est onus, quam bene.*

Talem viperam quis cicurabit? Si blandè tractes, seruius; si delinire bonis verbis voles, videberis timere, & imperium amittes. Noui quendam, qui alternis mensibus diuisum cum vxore imperium habebat. Sed eo mensè, quo vxor imperabat, nunquam domi ausus est permanere; luit enim omnia, quæ, priore mensè, peccauit imperando, si domi mansit. At seuerè habendo domabitur? colaphis basianda, virgis mulcenda, baculis mollienda est talis imperiosa Iuno? In primis non omnes feminae tali cibo vesci assueuerunt. Deinde, sicut, pro equi magnitudine temperamus frena, ita pro vxoris dignitate moderanda est gubernatio. Accedit, quasdam verberibus fieri peiores, è quibus dum vnus cacodæmon expellitur, emergunt illico alij septem nequiores. Incipiunt enim statim, pro leuibus factis, graues vindictas, venena, cædes, funera meditari. Non de nihilo tot moriuntur, ante suas vxores, mariti. Non nouit femineos mores, qui ista non nouit. *Nempe etiam Illustrium multi, dolo coniugum, perière. Sileo Danaï truces & cruentas nuptias, & infamem noctem, miseramq, tot simul iuuenum stragem.*

Franc Petrarch. dial. 65.

O

Non

Non hoc illi, quorum supra meminimus, grauis Agamemnon, mox Phryx Deiphobus neget: non ex vestris Africanus minor, non postremo recentior Alboinus rex, cuius ab impudica & sua fusu coniugii nitidi Athesis ripam sanguis infecit. Nempe maligna vxor, ad mariti mortem, vitam suam reputat. Sunt aliqua increpationibus erudita, sunt plagis mitigata; sunt quaedam, per scuticam & corium bouis, adiurata; sunt quaedam herbis, sunt alia verbis, sunt nonnulla lapidibus sanata. Sed haec ipsa vita, interlites, iurgia, & verbera, quam diuturna & tristis est? & pax, per tale bellum, emta quanto pretio constat? Quamquam vel sic procuranda, si aliter non potest. Nam *vitium vxoris aut tollendum, aut ferendum est* Qui tollit vitium vxoris, commodiorem praestat: qui fert, sese meliorem facit. Vtrumque hoc laudis decus meritus est Socrates, seipso superior, quando Xantippen verbis tonantem magis patienter audiuit, quam ipsum Plato: vxoris rursus victor, quando illam fustium auctoritate fecit obedientem. Hinc, cum quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli ad eum descenderent, rogantes, vt aliquod bene ordinandae vitae praecipuum illis traderet, in suum eos diuersorium secum duxit; vxoremque suam Xantippen vocauit, iussitque vasa oleo & melle plena vt eijceret. Id, discipulis vehementer admirantibus, dixit: *Si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam ponetis.* Optima coniugum regula fuit Socrates, dum exemplum dedit, in coniugio & patiendi, & imperandi. Atque haec sufficiunt ad ostendendum, quam rara ac difficilis sit occasio, vel ars, bonam vxorem, e tanto malorum cumulo, seligendi: aut ex improba probam faciendi: quae res est vna inter raro contingentes.

Gell. l. j;

VI.

4. Demus, locum esse eligendi. Quid non ibi se offert difficultatis? Videns quidam tantam, in Germanorum vestibus diuersitatem, consilium dedit, vt pilei Saxonici, qui olim erant admodum magni, & Suedici, qui sunt iusto minores; item laxiora, & nimis stricta collaria; thoraces denique nimis curti & angusti, & laxa ac follicantes caligae matrimonio iungerentur, sic enim sperari posse, ex eorum partu, vestes mediocres, & modum non excedentes prodituras. Si eadem spes esset  
de ma-



de matrimonijs hominum, multæ lites, multæ tollerentur difficultates. Nam, apud homines, diuersitas est mater discordiarum. Nec diuersitas tantum, sed alia quoque faciunt perplexitatem. Pulchram an deformem? diuitem an pauperem quis eligat? Antisthenes (Gellius hoc dictum Biantii tribuit) adolefcenti fortè consulenti, cuiusmodi vxorem ducere expediret? *Si formosam duxeris, inquit, habebis communem: si deformem, habebis poenam.* Quis ligneam, quis rugosam, quis verrucosam, quis Ethiopam, quis mucosam laruam in perpetuam vitæ sociam assumat? Quòd si quis formam sectatur, facile potest cogitare illam, quæ sibi tantopere placet, neq; alijs displicere. Rarò eadem, facie Helena, & mente Lucretia est. Habet oris venustas plurimos insidiatores. Qua de causa D. Petrus filia suæ Petronillæ, beneficij loco, febrim quæ formam eius vastaret, impetrauit, satius existimans, castam esse, quàm pulchram. Pittacus ab Atarnete interrogatus, qualis ducenda esset vxor, diuesne, an diuitijs carens? (nam duæ offerebantur: altera par opibus ac genere: altera vtroque superior) sublato scipione, quo nitebatur admonuit, vti pergeret ad triuia ciuitatis, quò pueri, lusus causa, conueniunt, eos consuleret, & quod illi dedissent consilium, id sequeretur. Pueri, ex prouerbiali conuentione responderunt: *Aequalem vxorem esse ducendam*, illud scilicet cantantes: *Tu tibi sume parem.* Itaque adolefcent, alteram præteritâ, duxit æqualem. Hæc autem sententia hoc impensius placuit Pittaco, quòd ipse nobiliorem se duxerat, Draconis sororem, cuius imperium fastidiaque, molestissimè legitur tulisse; vt hoc dictum non in tempore, sed suo malò videatur reperisse. Experientia certè docet, eiusmodi ferè connubia, inauspicatò cedere. Qua de causa Plutarchus, parentes admonet, vt eiusmodi liberis suis vxores despondeant, quæ non sint multò vel ditiores, vel potentiores. Verè pronunciauit Iuuenalis:

*Intolerabilius nihil est, quàm femina diues,*  
 venit enim cum dote mille miseriarum. Vidi feminam talem,  
 quæ maritum ad colum astringeret; vidi quæ non sineret maritum,  
 in eadem secum mensa, aut iisdem cibis vesci; reliquias

illi

Laert. lib. 6.  
 cap. 10

Idem Laert.

Plutarch. in  
 libell. de liberis educandis.

illi ciborum duntaxat mittebat; sæpe etiam domo excludebat; quotidie illi exprobrabat, nisi per suum matrimonium steticisset, mendicum futurum fuisse, neque habiturum, quod comederet, immo nec ossa, quæ roderet. Quæ talia considerans ille dixit: *Vxori nubere nolo mea.* Et, ob hanc ipsam causam, quidam Philosophi à coniugijs prorsus abstinerunt. Demonax Epicteto Cynico suggerenti, ut uxorem duceret: *Da mihi, igitur inquit, unam è filiabus tuis.* Notans illum ineptè suadere aliter, quod ipse non faceret. Inter rationes cæteras fuit, quoniam, si pauperem duxisset, magnus impendebat labor & cura in alimentanda; si diuitem, putabat, se dominam, non uxorem, domi habituram, affinesque illius omnes, tanquam potentiores, metuendos. Neque verò solùm id spectari conuenit, ut par sit vxor generis claritate, aut modo rei familiaris, verùm ut ætat etiã non admodum discrepet, ut forma, ut vitæ genus. Est enim omnis dissimilitudo causã discordiarum. Quin & ipsæ quoque fæminæ talia obseruarunt, & in viris metuerunt. Martia Catonis F. interrogata, quam ob causam, post mariti mortem, alij se copulare viro renueret? Respondit, quia non virum facile inuenero, qui me magis velit, quàm mea. Deianira, apud Poëtam, verba sunt:

Erasm. lib. 2.  
apophr.

Ibidem.

Ouid. in ep.  
Deian.

*Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuueni,  
Tam iuueni magno coniuge nupta minor.  
Non honor est, sed onus species læsura ferentes,  
Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Antholog. l. 2.  
de hoc Antiocho Plutarch. in Flaminia.

Quale coniugium sequatur, si puer anum; Narcissulus Baucidem, aut Niconem vetulam, aut octoginta annorum senem, Antiochus scilicet aliquis octodecim annorum puellam, Euander Lauiniam; itemque; reginam Iunonem de triuio Codrus, aut Priamus rusticam aliquam de pago Nisam ducat? Ducat, inquam, nam etiam multæ mulieres potius maritos suos ducunt quàm ducantur; & multi viri vxoribus suis nubunt.

VII.  
Francisc. Petrarch. dial.  
LXV.

Quamobrem sapienter Petrarcha scripsit: *Anceps vxoris electio. Deformis facile fastiditur: formosa difficile custoditur; ea lege, qua, inter formam corporis atque animi castitatem, lux perpetua est. Sed, ut quod rarissimum est, contingat, & forma pueri dicitur*

dicitia iuncta sit, uberius tecum agam: Accedunt & feminea dotis alia, nobilitas, census, opulentia, facunditas, atq; facundia, fama integritas, morum candor: scito tuum limen his immixtam subintrasse superbiam, ut jure Satyricus videatur malle Venusiam, quam Corneliam, Gracchorum matrem Africani filiam paternis triumphis ac gloria insolentem. Talem ego noui, quæ marito diceret, octo ego paternos & maternos auos & auias possum tibi enumerare, omnes nobilitate claros; tuus, mi vir, pater ramenta sulphurata vendidit; tuus auus, ante pauperum ianuas, subula calceos refecit attritos & laceratos: de proavo ipse nihil potes certi memorare; nescis, molitor, an olitor; albus, an ater fuerit; audiui, qui dicerent, carpentarium fuisse. I, & aude mutire. I, & iacta nobilitatem, quam heri mendicatio impetrasti, fratre tuo adhuc cauponem, in ignobili pago, agente, apud quem non diuertunt, nisi carnifices & lictores; Iudæi, & agasones, aut fatigati fures, qui insequentium manus & vincula effugerunt. Hæc & similia quotidie diues ac nobilis vxor marito pauperi occinebat. Quis talem picam dæmi patiatur? An non satius esset, bubonem, aut strigem tolerare? Expertus est hoc genus dæmoniorum Dauid. Nam cum intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens, per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem, coram Domino: & despexit eum in corde suo. Nempe regis filia, filium Isai, paulò prius ouium pastorem. Neque enim cogitauit, & hunc pastorem etiam vrsorum, etiam leonum, etiam gigantis, Goliath, & Philisthæorum victorem esse. Semper enim occurrunt malis cicius deteriora; & promptius in os veniunt conuitia, quam laudes. Itaque cum inferiores despiciantur, maiores sint metuendi coniuges; pares non semper occurrant, scopuli sunt vbi que. Hinc apud Melandrum nonnemo ita canit:

2.Reg. 6.16.

Ergo mihi vxorem qualem ducam? Anne puellam?

Hæc forsân veniet non satis apta mihi.

An viduam? dominam quis possit ferre tonantem?

An vetulam? tolerat quis patienter anum?

Fecundam? facunda domum mihi prole grauebit:

An sterilem? sterilis non decus arbor habet.

An ditem? magis est nihil intolerabile dite.

Ast inopem? quid opis ferre valebit inops?

Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.

Verbosam? mulier res onerosa loquax.

Formosam? varijs est subdita forma periclis.

Deformem? pœnam ducere nunquid amem?

Non igitur ducenda vxor, quia fenore tanto

Apparent socij dumna rimenda tori.

Tacit de me-  
rib. Germa-  
nor.

Illud quoque de antiquis Germanis laudauit Tacitus, quod gentium connubia censuerint non miscenda, ne & morum mixtura, aliquid amitteret de patria sinceritate. Sæpe enim cum vestibus, cum lingua, cum famulis & comitatu peregrina vitia inferuntur. *Quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est*, ait Tacitus, *ex ingenio suo quisque demat, vel addit fidem. Ipse eorum opinioni accedo, qui Germania populos nulli aliarum nationum connubijs infectos, propriam & sinceram, & tantum sui similem gentem exiisse arbitrantur.* Atqui sæpe defunt, in eadem natione pares? sæpe magna, per peregrinos coniuges, sperantur emolumenta? sæpe & fuit felix euentus eiusmodi coniugiorum? Quid igitur faciendum? magisne metuendum, quam sperandum, inter hos scopulos? quò eundum in hoc biuio? Eundum, quò ratio ducit, non quò præcipitat impetus; ne sit idem, *ire & perire.* Reddunt ista difficilem nuptiarum electionem. Et tamen multi, sine nuptijs esse nolunt. Quocirca sapientissimus Socrates ab adolescentulo quodam consultus, uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret; respondit, *utrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam.* Hic te, inquit, solitudo; hic orbitas, hic generis interitus; hic hæres alienus excipiet: illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graui supercilium, garrula foeris lingua, subessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Non passus est iuuenem, in contextu rerum asperarum, quasi læta materia facere delectum.

Val. Max. lib.  
7. c. 2.

VIII.  
S. Greg. l. 12.  
Moral.

5. Hinc jam ipsa, quæ coniugio annexa sunt plerumque mala perspicere licet. *Bonum est coniugium*, inquit S. Gregorius, *sed mala sunt, quæ circa illud ex huius mundi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, ex rebus iuxta positis, committitur plerumque*

plerumque, quod nocet. Sicut sepe rectum mundumq, iter pergi-  
 mus, & tamen, ortus iuxta viam vepribus, per vestimenta, retine-  
 mur. In via quidem munda non offendimur, sed à latere nascitur,  
 quo pungamur. In coniugijs ergo, ipsi coniuges, saepe velut ve-  
 pres, se mutuo lacerant, vnguibus, clauibus, calcibus notant.  
 At coniugum dissensio totius domus est perturbatio, ait S. Augusti-  
 nus. Inuenias vxorem ad eò scœnam, vt malis cum tigride ha-  
 bitare. Erat nupta, cum quodam, mulier iracunda & morosi-  
 tate toti familiæ intolerabilis. Hic cognoscendi cupidus, vtrū  
 sua tantummodo, an etiam paterna domus ferre illam ne-  
 quiret, bona cum gratia, quasi magna res ageretur, ad patrem  
 eam remisit. Post dies non multos reuocatam interrogauit,  
 quàm rectè illi cum familia paterna conuenisset? Bubulci, re-  
 spondit illa, & pastores mihi visi sunt offendi mea præsentiā.  
 Ibi vir exclamauit, mulier, si grauis & inuisa ijs fuisti, qui primā  
 luce domo egrediuntur, & eadem postremā reuertuntur: quid  
 de alijs suspicandum, cum quibus totos dies versata es? immo  
 quid mihi timendum, cum quo tota vita manendum erit? *Vxo-*  
*rem duxi*, scripsit mihi aliquando discipulus meus, *in qua mala*  
*non incidi?* In quæ nam mala? 1. *Libertatem vendidi.* 2. *Rem*  
*malam emi.* 3. *Forti vinctus sum catēna, vnde me sola vel mea, vel*  
*illius mors liberet.* 4. *Cœpi seruire, cœpi pati, cœpi coactus charos*  
*pellere. Nam amicitiarum scopulus est vxor imperiosa.* 5. *Cum*  
*coniuge nuptias contraxi, cum pace diuortium.* 6. *Quid non impen-*  
*do in vestes superbas? quid in crustula? quid in mulsa? Et, pro his*  
*dulcibus omnibus, nihil recipio nisi amara verba. Felix mihi videor,*  
*si non & verbera. Ah cur Deum aliò vocantem non sum secutus?*  
*cur virginitatem non pluris feci, quam voluptatem? Quàm diu in-*  
*nocens fui, consilia Christi mihi placuerunt. Postquam Sirenibus au-*  
*res aperui, & DEI gratia excidi, appuli animum ad nuptias: duxi*  
*vxorem: quæsiui voluptatem, inueni calamitatem. Habeo igitur,*  
*quod merui, non quod quæsiui. Audini multa; nunquam credidi, in*  
*vna vxore tot mala esse posse. Sed alium, de re vxoria, testem pro-*  
*ducamus. Est verò is Metellus Numidicus grauis & disertus*  
*vir, qui in censoria dignitate constitutus, cum populum augeri*  
*vellet, eaque gratia eum publicè ad matrimonia capessenda ad-*  
*hortaretur,*

S. Augustin.  
 in Psal. 35.

Gell. l. 1. noct.  
Attic. c. 6.

hortaretur, in ea ipsa, de ducendis vxoribus oratione (quia virum illa grauitate & fide praditum, nihil decuit aliud dicere, quam quod verum sibi esse, atque omnibus videbatur, praesertim cum super ea re diceret; quae quotidiana intelligentia, & communi perurgatorum, vita vsu comprehenderetur) de molestia cunctis hominibus notissima confessus dixit: Si sine vxore possemus, Quirites, esse omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, nec cum illis satis commode, nec sine illis villo modo viuere possit, saltem perpetuae potius, quam breui voluptati consulendum. Videbatur quibusdam Metellum Cens. cui consilium esset, ad vxores ducendas populum hortari, non oportuisse nec de molestia incommodisq; perpetuae rei vxoria consistere; neque dissuadere magis, absterre q; quam abhortari. T. autem Castritius recte atq; condigne Metellum esse locutum existimabat: Aliter, inquit, Censor loqui debet, aliter Rhetor. Igitur qui fidem vult veritatis commereri, fateri debet molestiam matrimoniorum. Quid quod longè sanctiorè testem

1. Cor. 7. v. 27.

habemus ipsum Apostolum? cuius haec sunt: solutus es ab vxore noli querere vxorem. Si autem accoperis vxorem: non peccasti. Et si nupsit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, aperientes sibi, per coniugij copulam, dolorum officinas.

S. Basil. lib.  
de S. virginit.

inquit S. Basiliius. Cercè in coniugijs, liberorum, & familiae onera, non sunt parua tribulatio, quae velut acetum est voluptatis coniugalis. Ob quam causam multi casti iuuenes & viri Deo suam consecrant & vitam, & castitatem. Et, ob eandem, S. Augustinus S. Ambrosium secutus, nulli vnquam coniugium aut coniugium suadere voluit, ne, dum inter se coniugij

Possidonius  
in vita S. Au-  
gust. c. 27.

ingantur, ait Possidonius, eum maledicant, per quem coniugij sunt. Multae mulieres, varijs insidijs, & artibus etiam magicae virum adeptae, sibi ipsis male dicunt, quia virum philtis captando venenis destruxerunt. Qui venenis piscatur, facile interimit, & tollit piscem, sed corruptum & malum: sic quae philtis captant maritos, stupidos habent & inutiles, & multa absurda agentes, atque insuauem cum illis vitam agunt, ob dementiam, quod in Circe Homerus indicauit, quae non fruebatur ijs, quos in sues, vrsos, leones, canes verterat. Ad eundem modum lugent, seque ipsas identidem accusant, quae sibi procos viderent

facient,

facerent, dementârunt; quod non fecissent, nisi & ipsæ fuissent dementes.

Ob hæc, & complura talia, cùm coniuges deberent, coniugia reprehenduntur. Quæ quia à Deo sunt instituta, in ipsum scilicet Deum querelæ redundant; quasi ille sit malorum, author, qui status est author, & qui vxorem dedit; è quibus mala pullulant. Nam Deum status matrimonialis esse institutorem & approbatorem, è supradictis constat: quia primus omnium, inter primos parentes, matrimonium ipse fecit. Et, in lege gratiæ, teste D. Cyrillo, & Augustino alijsque, Christus idcirco, in Cana Galilææ voluit nuptijs interesse, vt nuptias, tanquam à Deo institutas, approbaret; ob quam causam etiam matrimonium, inter Ecclesiæ sacramenta, constituit. Quem admodum igitur Adam à Domino castigatus, culpam in vxorem, & per hanc in ipsum vxoris datorem refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; ita & alij eius, etiam in excusatione accusationeque, successores, Deo attribuere non verentur, quæ in coniugijs, natura sua bonis, hominum autem vitio sæpe ærumnosis, reperiunt. Medicina querelarum erit, Matrimonij bona, fines, curam providentiamque diuinam, in eo conciliando, aut etiam in ijs iustissimè plestendis, qui illud remerè, atque illicitè ineunt, polluunt, conè se indignos reddunt, considerare.

C A P V T XXIII.

*De tribus Matrimony bonis, quibus coniugium, honestatur & apud Fideles acceptum, apud infideles & hæreticos quosdam, detestabile redditur.*

**T**Ria generatim statuunt Matrimonij bona Theologi, cum D. Augustino, cuius hæc sunt: *Quod bonum habent nuptia, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est; Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel altero concubatur. In Prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiose educatur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne causa quidem prolis, alteri coniungatur.*

Pp

Duo

IX.

S. Cyrill. in c. 2. Ioan. S. Austin. serm. 4. de temp. S. Theod. lib. 5. diuinor. decretor. Bed. hom. 2. Gen. 3. 12.

I.

S. Aug. lib. 9. super Gen. c. 7 & lib. 1. de Nuptijs & concup. c. 11. & 17.